

## Version latine n°4 : oiseaux de malheur

*Polynice a rassemblé à Argos la coalition des Sept Chefs qui doit l'aider à reconquérir le trône de Thèbes contre son frère Étéocle. Avant l'expédition, on consulte deux illustres devins, Mélampous, qui prend ici la parole en premier, et Amphiaraos, qui est lui-même l'un des Sept. Mais de toute évidence, la campagne commence sous de sinistres auspices, et un destin funeste se profile pour chacun de ceux qui vont attaquer Thèbes...*

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : crochets droits.*

« [...] Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens  
uector adest, flauaeque sonans ausi unca Mineruae  
non uenit auguriis melior ; quin uultur et altis  
desuper accipitres exultauere rapinis.

Monstra uolant, diraeque stridunt in nube uolucres,  
nocturnaeque gemunt striges et feralia bubo  
damna canens. Quae prima deum portenta sequamur ?  
Hisne dari, Thymbraee, polum ? Simul ora recuruo  
ungue secant rabidae planctumque imitantibus alis  
exagitant zephyros et plumea pectora caedunt. »

Ille<sup>1</sup> sub haec : « Evidem uarii, pater, omina Phoebi  
saepe tuli : iam tum<sup>2</sup>, prima cum pube uirentem  
semideos inter pinus me Thessala reges  
duceret, hic casus terraeque marisque canentem  
obstipuere duces, nec me uentura locuto  
saepius in dubiis auditus Iasoni Mopsus<sup>3</sup>.

[Sed similis non ante metus aut astra notaui  
prodigiosa magis ; quamquam maiora parantur.

Huc aduerte animum : clara regione profundi  
aetheros innumeri statuerunt agmina cygni,  
siue hos Strymonia Boreas eiecit ab Arcto,

---

<sup>1</sup> Amphiaraos.

<sup>2</sup> Évocation de l'expédition de Jason et des Argonautes.

<sup>3</sup> Autre célèbre devin et Argonaute.

seu fecunda refert placidi clementia Nili.  
Fixerunt cursus : has rere in imagine Thebas ;  
nam sese immoti gyro atque in pace silentes  
ceu muris ualloque tenent. Sed fortior ecce  
aduentat per inane cohors ; septem ordine fuluo  
armigeras summi Iouis exultante caterua  
intuor : Inachii sint hi tibi, concipe, reges.  
Inuasere globum niuei gregis uncaque pandunt  
caedibus ora nouis et strictis unguibus instant.  
Cernis inexperto rorantes sanguine uentos,  
et plumis stillare diem ? Quae saeuia repente  
uictores agitat leto Iouis ira sinistri ?  
Hic excelsa petens subita face solis inarsit  
summisitque animos, illum uestigia adortum  
maiorum uolucrum tenerae deponitis alae.  
Hic hosti implicitus pariter ruit, hunc fuga retro  
uoluit agens sociae linquentem fata cateruae.  
Hic nimbo glomeratus obit, hic praepete uiua  
pascitur inmoriens ; spargit caua nubila sanguis.  
Quid furtim inlacrimas ? Illum, uenerande Melampu,  
qui cadit, agnosco. »]

Stace